

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2493

Auteur(s) : Raoul d'Anneville, de Morville [écuyer]

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôtel-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1275, juin

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation par Raoul d'Anneville, seigneur de Morville, de la donation à l'hôtel Dieu de Coutances par Robert Néel et sa femme de Morville, de tous les biens et terres leur appartenant.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° XCIV, p. 80-82.

Texte établi d'après a

Sciant omnes presentes et futuri quod, ego Radulfus de Ansnevilla, scutifer, de parrochia de Morevilla, pro salute animee mee et Agnetis uxoris mee et antecessorum meorum et maxime Herberti de Morevilla militis defuncti, ratam et gratam habui et habeo, et hac presenti carta confirmo in perpetuum, donationem et elemosinacionem quas Robertus dictus Neel de Morevilla et Agnes uxor ejusdem Roberti, assensu meo interveniente, fecerunt priori, fratribus et pauperibus Domus Dei Constanciensis apud Morevillam, videlicet de novem acris terre vel eocirca in terris, masuris, gardignis, ortis, pratis et terris arabilibus et inarabilibus et redditibus quibuscumque. Et dicti prior et fratres et pauperes et eorumdem successores, et illi quibus dare, vendere, feodare vel ad firmam tradere voluerint, seu quicumque premissa tenentes et jus in eisdem, de voluntate et assensu dictorum prioris, fratrum et pauperum et eorum successorum, habentes, tenebunt, habebunt et libere ac pacifice possidebunt in perpetuum de cetero et eorum successores omnia predicta, sine contradictione aliqua seu reclamacione mei vel heredum meorum de cetero facienda, exceptis septem virgatis et dimidia terre, vel eocirca, de novem acris terre supradictis, quas tenent Guillermus Neel et Thomas Neel fratres in feodum a predictis priore et fratribus, videlicet in duobus mesnagiis, cum clausis et gardignis ac domibus, et duabus peciis terre sitis in crupta as Neaux a capitibus et inter mesnagium predicti Guillermi Neel et cheminum per quod itur de ponte de Morevilla apud Grumaresc a lateribus, et continet circa unam virgatam terre. Secundum mesnagium situm est juxta domum et mesnagium predicti Guillermi et cheminum de ponte de Morevilla a lateribus et inter dictum exitum as Neaux et cruptam eorum a capitibus, et continet unam virgatam terre vel eocirca. Prima pecia terre dicte crupte sita est juxta viam per quam itur de predicto hamello as Neaux apud Grumaresc et juxta terram dicti Guillermi a lateribus et juxta mesnagium quod fuit predicti Roberti Neel et ad predictam viam de Grumaresc a capitibus, et continet circa tres virgatas terre. Secunda pecia terre dicte crupte sita est inter terras Nicholai Marguerie et Ricardi Neel a lateribus et inter gardignum dicti Guillermi, [quod tenebat de predicto Roberto] Neel, et inter terras familie Thome Le Bret, et continet duas virgatas et dimidiam terre. In his autem predictis [terris, licebit ?] michi et heredibus meis nostram plenariam justiciam exercere pro redditibus [servitiis, fructibus et faisantiis que nobis debebuntur annuatim de dictis novem acris terre], nisi plenarie nobis

redderentur ad terminos qui secuntur, videlicet terciam partem [servicii unius equi annuatim et ad festum] sancti Michaelis, quolibet anno, duodecim denarios turonenses pro reparatione fossatorum de Nigelli Humo et unum buissellum frumenti [pro mouta] ad mensuram dicte ville et duodecim denarios Turonenses pro porcho ad festum Sancti Michaelis predictum ; et duodecim denarios turonenses ad festum sancti Andree apostoli de auxilio, et octo denarios Turonenses pro [servitio] molendini ad festum Omnium Sanctorum, et terciam partem duorum anserum ad festum Sancti Petri ad Vincula, et quatuor denarios Turonenses pro panibus et duas gallinas ad Natale, et decem ova ad Pascha ; servitium feni crescentis in prato de Ponte de Morevilla pro tercia parte tam faciendo quam adducendo ; item ad festum sancti Johannis Baptiste, octo denarios pro mutone, servitium aratri bis in anno ad preces, si aratrum fuerit in predictis septem virgatis terre et dimidia [] qualibet die duos denarios pro salario. Si vero aratrum non fuerit residens in dictis septem virgatis et dimidia terre, non tenebitur ad predictum servitium faciendum. Et Johannes Osberti de premissis redditibus et fesantiis, ratione Marie uxoris sue, tenebitur in sexdecim denariis Turonensibus eidem qui michi fesantias et redditus reddet satisfacere annuatim. Preterea sciendum est quod michi, dicto Radulfo de Ansnevilla, et heredibus meis, non licebit justiciam facere in residuo dictarum novem acrarum terre, nisi pro tribus auxiliis Normannie consuetis tantummodo. Et in predictis septem virgatis et dimidia terre, tam pro dictis tribus auxiliis Normannie consuetis quam pro redditibus, servitiis et fesanciis qui nobis debentur annuatim ut prefertur, eam poterimus exercere. Ego enim dictus Radulfus et heredes mei tenemur in perpetuum de cetero dictis priori et fratribus eorumque successoribus hec omnia et singula predicta garantizare, defendere et deliberare per predictos redditus et fesancias contra omnes bona fide, prout predicto Roberto tenebamur. Hec autem omnia et singula juravi ego predictus Radulphus me fideliter servaturum et quod contra non veniam per me vel per alium ullo modo. Ut hec autem universa et singula robur obtineant in perpetuum, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno gracia M° CC° septuagesimo quinto, mense Junii.